

EPITHALAMION.



*Empore quo breuior lux est, & Dadala tellus  
 Sub niueo rursus tecta vapore latet.  
 Floribus amissis quando sua rura puella  
 Lugent, ac errant per nemus omne fera.*  
*Tunc Phæbus terram radijs urebat acutis,  
 Et flabat Zephyrus leta per arua tepens.  
 Mox ego Lipsiaca cedens ex mœnibus urbis,  
 Explicito voluens carmina sacra libro:  
 Nam mecum Turcæ meditabar bella Tyranni,  
 Quæis premitur summo turba dicata Deo.  
 Ut sacra leniret tantum medicina dolorem,  
 Quærebam tremulo pratula culta gradu.  
 Floridus ad portam locus est, & amœna vireta,  
 Nec procul à ripis Plissa vadosa tuis.  
 Huc igitur veniens, vidi dulcissima tempe,  
 Atq; dedi somno pectora fessa leui.  
 Dumq; cubo timidus, magnus ferit æthera clamor,  
 Auditur sonitus, fila Lyraeq; sonant.  
 Ecce mihi Phæbus præbet se fronte videndum,  
 Qui citharam palmis dulce gerebat onus.  
 Pectora fulgebant, Pario ceu structa lapillo,  
 Ornabant albas aureaserta comas.  
 At qualis fuerit facies, qua forma Lacana,  
 Vix potero verbis enucleare meis.  
 Obstupui, steteruntq; comæ & vox faucibus hæsit,  
 Certa cano, mecum vix satis ipse fui.  
 Auriculam manibus dextram mihi vellit Apollo,  
 Diuino fundens talia verba sono:*

*Heus*